Q. D. B. V.

INCLITAE ACADEMIAE

# GRYPHISWALDENSI

QUATUOR SECULA FELICITER PERACTA

GRATULANTUR

BONAQUE VOTA FACIUNT

RECTOR CANCELLARIUS ET SENATUS

ACADEMIAE EBERHARDO-CAROLINAE

INTERPRETE

**CHRISTIANO WALZIO**

LITTERARUM ANTIQUARUM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

---

INEST

## TURIBULI ASSYRII DESCRIPTIO.

TUBINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA FUESIANA.

MDCCCLVI.

Quid velint flores et acerra turis
Plena miraris?
Hor. Od. III, 8, 2.

Dum Britannorum Gallorumque musea larga monumentorum e Nini et Babylonis ruinis erutorum messe farciuntur, nostrarum rerum ea est conditio, ut in spicilegio faciendo nobis sit acquiescendum. Attamen opportuno casu accidit, ut cum F. Maleri, equitum Badensium quondam magistri, monumenta in villa amoenissima civitati Aureliae Aquensium imminenti congesta perlustraremus, in turibulum aeneum incideremus quod manifestum Assyriae artis characterem prae se ferret [1]. Quod cur hac potissimum litterarum, quas gratulationis causa ad vos, Collegae summe reverendi, transmisimus, occasione oblata publici juris fecerimus, nemo mirabitur, qui reputaverit, Germaniae academias tam arcto communium studiorum contineri vinculo, ut quidquid boni vel adversi uni earum acciderit, id ceterae quoque ad sese pertinere censeant. Pro hac mutua voluntate festos saecularium, quae nobis indixistis, dies nos quoque piis votis prosequimur, et supremo, qui Academiae vestrae quartum has ferias reduxit, Deo una vobiscum gratias agimus.

His praemissis ad ipsam acerrae nostrae descriptionem transire liceat, quam quidem paullo brevius Jacobo Martorellio, professore Neapolitano, a quo thecam calamariam Herculani detectam septingentis paginis formae qua-

1) Asservatur hodie in Museo Caroliruensi, in quod cum reliquis F. Maleri monumentis antiquis translatum est.

ternae descriptam esse WINCKELMANNUS refert [2]), nos transacturos esse spondenus.

In possessionem hujus monumenti venit F. MALERUS Romae octavo fere saeculi nostri lustro per mercatorem, qui opus in Aegypto inventum et Alexandria Romam advectum a praefecto classis Pontificiae emerat. De loco autem, in quo inventum sit, tantum abest ut certi aliquid compertum habeamus, ut ea de quaestione lata conjecturae pateat area. Et primo quidem adspectu in promtu est suspicio, turibulum nostrum ex Asia Alexandriam allatum esse; illa enim aetate, qua nonnulli quidem sagacis ingenii viri, quantum lucis ad illustrandam generis humani historiam e neglectis Nini ruinis aliquando proditurum esset, divinaverant [3]), nemo autem Assyriae artis monumentum viderat, tale opus a mercatoribus suum cuique merci locum adtribuere consuetis, ad Aegyptiam vel Indicam artem referri necesse fuit. Quod qui statuere velit, nemini invidemus; nobis autem Assyriae artis monumentum in Aegypto detectum nihil habere videtur, quod mercatoris Romani fidem in dubium vocare nos cogat, cum modo vi armorum et expugnatione modo connubio regum et foederibus mutuum inter Aegyptum

2) Epist. ad L. Usterium tum Neapoli degentem data d. XXIV. m. Febr. a. MDCCLXI.

3) Primo loco nominandus est OD. MUELLERUS, qui admodum juvenis ad illas regiones oculos convertit. V. Kunstblatt 1820. nr. 60. Kleine deutsche Schriften V. II. p. 525. Distinctius B. NIEBUHRIUS in Mus. Rhenano anno MDCCCXXIX. Vol. III. Fasc. I. pag. 41. pronuntiavit: Ninive wird das Pompeji Mittelasiens werden, eine unermessliche und noch unberührte Fundgrube für unsere Nachkommen, denen ein Champollion für die assyrische Schrift nicht fehlen wird. Similiter MOVERS (Hist. Phoenicum) a. MDCCCXLI. T. I. p. 6. „Vielleicht lassen die in dem Schutthaufen des alten Ninus vergrabenen Denkmäler den Mittelpunkt altasiatischer Cultur entdecken, von dem aus auch der religiöse Ideenverkehr zu den Medopersern, Lydiern und Kleinasiaten einer-, und zu den Semiten andererseits seine Richtung nahm."

et Assyriam commercium intercessisse constet. Si Sam. Birchium [4]), Aegyptiarum litterarum doctissimum interpretem, audimus, Babylon, Ninus et Thebae ab initio usque ad finem dynastiae decimae octavae inter se junctae fuerunt; deinde societas restituta sub regum Taniticorum dynastia vicesima prima, cujus rex Pehor sive Pehar novemdecim filios habuit, quorum duo semiticae originis nomina gesserunt; septimi enim nomen Ma-swa-ha[r]va, octavi Ma-swa-kahata, Masios, populum in septentrionali Nini parte situm in animum revocat. Non minus in sequente regum Bubasticorum dynastia plura nomina semiticam radicem referentia inveniuntur, ut regum Sheshank ejusque filiorum Shapud et Osorchon, Nimrot, Takilutha sive Takellothis, reginarum Lekamat sive Rekamat, Karmam sive Kalmim. Praesertim in nominibus Osorchon, Nimrot et Takilutha Assyriorum Sargon, Nimrod et Tiglath facile agnoscuntur. Similiter Rawlinsonus [5]), in perscrutandis cuneatis Assyriorum inscriptionibus impigre elaborans, inter devictos populos, quos obeliscus in colle Nimrud effossus regi Assyriae tributum ferentes viva imagine repraesentat, etiam Aegyptiorum nomen invenit, et nuper [6]) in recitatione coram frequente consessu Societatis Britannicae litterarum promovendarum causa constitutae facta Aegyptum et Aethiopiam ab Assyriorum rege Esar Haddon, Sennacheribi filio, expugnatam esse retulit.

---

4) Observations on two egyptian cartouches and some other ivory ornaments, found at Nimroud, read January 27th, 1848. in Transactions of the Royal Society of Literature of the United Kingdom. Sec. Series. Vol. III. Lond. MDCCCL. pag. 164 sqq. Conf. Layard, Nineveh and its remains, Lond. 1849. Vol. II. p. 206 sqq.

5) Commentary of the Cuneiform Inscriptions of Babylonia and Assyria. London 1850. 8.

6) Ex *Athenaeo* lingua vernacula redditur in commentariis: Ausland, 5. Sept. 1856. nr. 36. p. 807.

Sed missis his litterarum, quas neque legere neque ab aliis lectas examinare possumus, documentis monumentorum, quae in his quaestionibus litteris locupletiora esse censemus, testimonia consulamus. Quod Lucianus [7] Assyrios sacra et caerimonias ab Aegyptiis accepisse dicit, id magna ex parte monumentis recens detectis confirmatur, in quibus fere omnia, quae sacrae Aegyptiorum arti maxime propria sunt, inveniuntur [8], crux ansata, quam Dii regesque manibus tenere solent, Sphinges, scarabaei Assyria signa gerentes, loti flores, vasa Aegyptiam formam referentia, denique obelisci [9].

Contra vero etiam in Aegypto non pauca ad Assyriorum sacra pertinentia monumenta inveniuntur. Variae fuerunt apud antiquos populos exterorum deorum cultum invehendi caussae; modo victores expugnatarum urbium diis evocatis nova templa foverunt, modo si patrii Dii ingentibus calamitatibus remedium afferre non potuerunt, ad alienos confugerunt, modo filiae regum, cum exteris principibus matrimonio junctae patriorum Deorum cultum in novam patriam transtulerunt. Itaque non mirum est, si pro mutuo, quod supra exposuimus, Aegypti Assyriaeque commercio praecipue Mylittam sive Venerem Assyriam [10], a mulieribus praecipua religione cultam, inter Aegyptios Deos conspicimus. Imaginem ejus, supra leone adversa

---

7) De dea Syr. c. 2. πρῶτα μὲν ὧν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν καὶ ἱρὰ εἴσασθαι καὶ τεμένεα, καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι· πρῶτοι δὲ καὶ οὐνόματα ἱρὰ ἔγνωσαν καὶ λόγους ἱροὺς ἔλεξαν. μετὰ δὲ οὐ πολλοστῷ χρόνῳ παρ' Αἰγυπτίων λόγον Ἀσσύριοι ἐς θεοὺς ἤκουσαν καὶ ἱρὰ καὶ νηοὺς ἤγειραν, ἐν τοῖσι καὶ ἀγάλματα ἔθεντο καὶ ξόανα ἐστήσαντο.

8) Layard Nin. and its remains V. II. p. 213. 214. R. Rochette sur la croix ansée 1846.

9) Unus in colle Nimrud a Layardo detectus (v. Nin. and its rem. I. p. 346. II. p. 214), alter priore major a Rawlinsono v. Allg. Zeitung 1853, p. 3659. b. 1854. m. Majo.

10) Herod. I. 131.

facie stantis, dextra tres loti flores, sinistra duos angues tenentis exhibet tabula ex sanctuario templi in Nubia loco Abou-Sembil appellato in Museum Britannicum translata [11]. Alteram similem tabulam, e loco ignoto in Museum Gallicum illatam, nuper edidit F. Lajard, V. Cl. in libro quem de cultu cypressi edidit, bonae frugis pleno [12], quae quidem eo maxime differt a priore, quod Deam, quae in illa Isidis more tenuem vestem gerit corpori arcte applicatam, nudam exhibet, cesto Veneri proprio [13] supra pubem cinctam. Tertia ejusdem argumenti tabula, Deam nudam repraesentans, asservatur in Museo Taurinensi, quarta valde detrita et fragmentum quintae in Museo Britannico.

A Mylitta Assyriorum nomine solum non numine diversa fuit Anaitis, ad quam monumentum Dianae Persicae Graechwyliae repertum docta dissertatione nuper retulit J. G. Stikelius, Jenensis [14]. Hujus Deae cultus late per Asiam pervulgatus [15], et, quod nomina Beth-Anath (i. e. templum Anaïtidis) et Beth-Schemesch (h. e. templum Solis) in libro Josuae XIX, 38. testantur, a Palaestinensibus quoque ante terram ab Israëlitis occupatam receptus [16], etiam in Aegyptiorum templorum adyta penetravit. Ut in

---

11) Postquam H. E. Prisse (Monuments égypt. tab. XXXVII.) delineatam primus edidit, repetita est a Lajardo (Recherches sur le culte de Venus Tab. XIV. E. Layardo Nin. and its rem. II. p. 212.) et in nostra commentatione de Nemesi Tab. I, 1.

12) Recherches sur le culte du cyprés pyramidal 1854. pl. XI. cum docta liberi baronis de Rougé explicatione eidem libro p. 174—182 inserta.

13) Luc. de deo Syr. c. 32. ἔχει — — καὶ κεστὸν ᾧ μούνην τὴν Οὐρανίην κοσμέουσι.

14) De Dianae Persicae monumento Graechwyliano, Jen. 1856. Cfr. E. Gerhard Ephemerid. Archaeolog. 1854. nr. 61—63.

15) V. Creuzer Symbol. II. p. 353 sqq.

16) Emm. de Rougé in Lajardi libro modo laudato p. 183.

cylindro Musei Britannici [17] deam duabus pharetris, arcu et sagittis armatam tigri insistentem conspicimus, ut Lacedaemonii in Cytheris insula armatum Uraniae ξόανον, a Phoenicibus sine dubio invectum, coluerunt [18], ita in tabulae e Nubiae templo in museum Britannicum translatae parte inferiore deam sedentem videmus, dextra hastam, sinistra securim tenentem [19], cui nomen Anta adscriptum esse testatur Emm. de Rougé [20].

Idem Sesostris Magni filiam, quam titulus magnifici Nubarum monumenti, in loco Ipsamboul siti, Baïta-Anta appellat, ab Anaitide nomen duxisse censet. Quibus si addas etiam supremi Assyriorum Dei, Baal, nomen in Aegypti monumentis lectum [21], non dubitabis, his Assyriae artis monumentis in Aegypto repertis turibulum nostrum adjungere quantivis pretii habendum, quod in tabula adjecta ea, quae est monumenti ipsius, magnitudine delineandum curavimus. Imitatur arae formam, pedibus leoninis nixae, quales duas trilateras e colle Khorsabad Layardus effodit [22]; singulari autem arte ita compositum est, ut lamina superior, operculi locum tenens, super qua leo suem comprimens ab utroque latere felibus jacentibus caelatus est, protracta carbonibus et turi injiciendis occasionem det. Cetera ita adornata fuisse videntur, ut a foramine ad litt. c. conspicuo catella penderet, cujus in fine ligula ad litt. d. inserta operculum ita contineret, ut turibulum catena inter litt. e et f expansa vibratum fumum per os et aures bestiarum emit-

---

17) Vide Lajard, Recherches sur le culte de Venus pl. IV. 12. R. Rochette, Herc. Assyrien pl. IV. 16. Gerhard l. l. tab. LXIII. 4.

18) Paus. III, 23, 1. τὸ δὲ ἱερὸν τῆς Οὐρανίας ἁγιώτατον καὶ ἱερῶν ὁπόσα Ἀφροδίτης παρ' Ἕλλησίν ἐστιν ἀρχαιότατον. αὐτὴ δὲ ἡ θεὸς ξόανον ὡπλισμένον.

19) V. Lajard, Recherches sur le culte de Venus pl. XIV. F.

20) l. l. p. 179. 182.

21) Sam. Birch Transactions of the R. Soc. of Liter. Sec. Ser. Vol. III. p. 161.

22) V. Nin. and its remains II. p. 470. et nostram tabulam I. nr. 3.

teret. Plena quidem sunt primaria Europae musea supellectile ad sacra pertinente, nec desunt acerrae [23]), i. e. arculae in quibus tus sacrificiis adhi-

---

23) Acerras partim *aeneas*, partim *marmoreas* offerunt CAUSEUS (De la Chausse) Mus. Rom. T. II. pl. IX. Montf. L'Ant. expl. T. II. P. I. pl. LIV. LV. 1. Supplem. T. II. pl. XV, 3. Caylus Recueil T. I. pl. XCII. 2. T. IV. pl. LXXXVI. 1. 2. Consulto omisimus acerram ex *ossibus* factam, quam nuper in Museum Britannicum immigrasse comperimus. De qua cum paullo accuratius disputandum sit, subjungimus descriptionem, quae in GERHARDI commentariis archaeologicis 1853. nr. 58. p. 385. continetur: „Der Deckel stellt Amymone's Entführung dar. Poseidon trägt seine Schöne mitten aus dem Kreis ihrer erschrockenen drei Gefährtinnen zu seinem am Meeresufer bereiten und mit Hippokampen bespannten Wagen; Cupido besteigt einen dieser Hippokampen und lenkt denselben mit umgestürzter zierlich gezackter Triäna. Vorn ein Medusenhaupt in arabeskenartiger Verzierung, einerseits eine Krabbe in einem Festgewinde, andererseits ein Adler mit Donnerkeil in den Klauen. Auf der Kehrseite ist folgende Inschrift in Relief zu lesen:

I. H. D. D. D. NEPT. L. VERVS. AVG. PR. PROV.
GER. ET. BRIT. ET. HEREN. APOL. ES.
ET. C. LVC. ET. HER. BRIT. F. V. S. L. L. M.

also: *in honorem domus divinae deo Neptuno L. Verus Augustalis procurator provinciarum Germaniae et Britanniae et Herennius Apollinaris Essenius et C. Lucceius et Herennius Britannicus fecerunt vota solventes laeti libenter merito.* — Das Kästchen steht auf vier Löwenklauen und soll in der Umgegend von Mainz gefunden sein; an der Rückseite sind silberne Haspen angebracht." Mira haec inscriptio quamvis jam GERHARDO jure suspicionem moverit, tamen BEKKERUS in ephemeridibus: Periodische Blätter der Vereine von Kassel, Darmstadt, Mainz, Wiesbaden und Frankfurt. 1855. nr. 6. novam hujus operis interpretationem proposuit; *nobis* autem non minorem suspicionem movet symplegma in operculo acerrae scalptum, quod quidem anaglypho a MONTEFALCONIO (L'Antiquité expliquée T. I. P. I. p. 70. tab. XXXIII. 10.) ex Admirandis Romae antiquae reddito ita, ut ovum ovo, simile est. Qua in re cum fraudem manifestam cognovissemus, LUDOVICUM LINDENSCHMIT, Musei Romano-Germanici, quod

bendum servabatur, quas in monumentis Romanis non raro in camillorum manibus videmus; sed turibulum nostrum unicum Musei Caroliruensis κειμήλιον appellare non dubitamus.

Turis [24]) usus in sacrificiis omnium antiquorum populorum pervulgatus fuit et Babylone audimus tam profusam ejus consumtionem fuisse, ut quotannis annuo Beli festo millena talenta turis cremarentur [25]); ibidem ante aureas Jovis Junonis et Rheae statuas duo vasta turibula aurea, trecentenorum talentorum pondus habentia, stetisse narrat Diodorus Sic. II, 9.; Euelthon, Salaminis Cypriae tyrannus, Delphis in Corinthiorum thesauro turibulum

---

Moguntiaci floret, conservatorem, virum harum rerum in paucis peritum, per litteras consuluimus, si quid de hujus generis veteratore sciret. Is nobis d. xi. m. Sept. h. a. respondit, esse Moguntiaci artificem, ex ossibus inter antiquorum aedificiorum rudera effossis varia opera conficientem et in id intentum, ut Britannorum curiositati satisfaciat et crumenam auro onustam sublevet. Ex hac officina vix dubitari potest quin suspecta ista acerra et alia supellex ossea prodierit, ex qua nominanda est nova et inaudita pectinis species, in parte superiore Jovis, Martis et Mercurii imagines exhibentis, addita inscriptione:

J. M. ME.
O. M. C.

dignum opus, quod septuaginta quinque libris sterlinis Anglus quidam rependeret! Videant igitur artis antiquae amatores, qui novissimo tempore ossea supellectile musea sua ornaverunt, ne carbones pro thesauro emerint. Quo lectores, raro Montefalconii libro carentes, suo judicio uti possent, anaglyphum illud Romanum in tab. II. delineandum curavimus.

24) Quae ad patriam variasque per mercaturam vices turis pertinent, ea omnia C. Ritterus in geographia Arabiae (Erdkunde P. XII. p. 356—372) ita congessit, ut nihil reliquerit intactum.

25) Herod. I, 183. Quanti tus in orbe antiquo aestimatum sit, optime intelligitur ex eo, quod magi ex Oriente ad adorandum Jesum Christum profecti proximum ab auro locum turi, tertium myrrhae attribuerunt.

visu dignum dedicavit [26]); in pompa Dionysiaca a Ptolemaeo Philadelpho Alexandriae instituta Victoriae aureis alis ornatae turibula sex cubitos alta tulerunt [27]); rex Indiae cum se in publico conspici patiebatur, turibula argentea ministri ferebant, totumque iter, per quod ferri destinaverat, odoribus complebant [28]). Quam communis apud privatos turibulorum usus fuerit apparet ex Ciceronis oratione in Verrem IV, 21.: „domus erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent, etiam si praeterea nihil esset argenti, patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum, patera, qua mulieres ad res divinas uterentur, *turibulum.* Haec autem omnia antiquo opere et summo artificio facta.“ Hac ipsa de causa Verres in omnibus turibulis, quaecunque in Sicilia fuerunt, hoc tenuit institutum, ut cum inspicienda poposcisset, evulso emblemate remitteret. Mater Idaea cum Romam transportaretur, primores civitatis matronae eam Ostiae accepere, atque per manus, succedentes deinceps aliae aliis, omni effusa civitate obviam, *turibulis ante januas positis*, qua praeferebatur, atque accenso thure, precantibus, ut volens propitiaque urbem Romam iniret, in aedem Victoriae, quae est in Palatio, pertulere [29]). Denique Ausonius [30]) inter usitatissima sacrificiorum vasa turibulum nominat:

Turibula et paterae, quae tertia vasa deum? lanx.

Itaque quum non modo in Sicilia, ut dicit Cicero loco supra laudato, sed in toto orbe antiquo per omnia tempora incredibilis fuerit turibulorum multitudo,

---

26) Herod. IV, 162.
27) Callixenus in quarto de Alexandria libro apud Athen. V. p. 197. e.
28) Curt. VIII, 6.
29) Liv. XXIX, 14.
30) Technopaegn. XII. per interrogationem et responsionem 5.

mirum sane [31]) videtur, antiquitatem, quae tam largam levissimi pretii supellectilem ad nostram aetatem transmisit, totum hoc monumentorum genus nobis invidisse. Vasorum quidem jactura partim ab ipso metalli, ex quo ea facta esse vidimus, pretio repetenda est, partim ab eo, quod Christianae doctrinae praeconibus propositum fuit, ut cum sacris paganorum etiam sacrorum apparatum exstirparent; sed in monumentis, praesertim in anaglyphis et vasis pictis, quae nobis fere omnes et publicae et privatae vitae actiones repraesentant, nullam usquam turibuli imaginem inveniri, id quidem Fortunae ludibrio attribuendum esse videtur. Etiamsi propter diversam, quam cognovimus, turibulorum magnitudinem formamque ad ararum similitudinem fictam nonnulla in monumentis obvia [32]), quae hodie aras vocare solent, rectius ἐσχάρας vel θυμιατήρια (sive turibula) vocari velis statuere, tamen parva illa, ut ad templorum ita ad privatae uniuscujusque domus supellectilem pertinentia vasa, quibus nostrum adnumerandum est, desideramus.

Superest, ut ad opus caelatum, quo turibulum nostrum ornatum est, explicandum accedamus. In quo primum locum tenet leonis et suis symplegma

---

31) Illud, quod Mich. Ang. Causeus (De la Chausse) Mus. Rom. T. II. Tab. IX. et ex eo Montefalconius L'Ant. Expl. T. II. P. I. pl. XV, 2. nullo seu publico seu privato museo, ad quod pertineret, nominato profert, instituendorum lectorum causa delineatum esse videtur.

32) Aris proprium est, ut loco suo fixae sint, turibulis et ἐσχάραις περιφορηταῖς, ut loco moveri possint; cf. Eust. ad Od. H. p. 1575, 43: ὅτι δὲ οὐ μόνον κατὰ γῆς ἐσχάραι πυρὸς ἦσαν ἀλλὰ καὶ περιφοιρηταὶ, δῆλον ἐκ τοῦ, ἐπόμπευσαν καὶ θυμιατήρια χρυσᾶ καὶ ἐσχάραι ἐπίχρυσοι (ex Callixeno supra not. 27. laudato). Itaque in anaglypho Musei Pio-Clem. T. V. tabula XXII. quod Heerenius juvenis in *Commentatione in opus antiquum caelatum Musei Pio-Clem. Rom. 1786.* ad Orestis parricidium referendum esse primus vidit, illud quod puer altero genu innixus manibus tollit, turibulum potius vel ἐσχάραν, quam aram dixeris.

cum novitate tum intimo cum religione Assyriorum et Babyloniorum nexu memoratu dignum. Leonem in his monumentis sexcenties obvium propter igneam naturam suam Soli sacrum fuisse non est quod multis demonstremus. Sed cum sol modo salutarem modo pestiferam in rerum naturam vim exserat, leonis in monumentis repraesentati varia est significatio. Usitatissimum est leonis bovem vel cervum dilacerantis [33]) symplegma, quod ex Oriente profectum etiam a Graecis receptum est [34]). Hac imagine vis solis terram et tenera animalia (i. e. bovem et cervum) aestu et siccitate evertens exprimitur; viri autem leonem comprimentis vel trucidantis symplegma, in Assyriis, Babyloniis et Persicis monumentis lapideis, cylindris, sigillis aliisque millies repetitum, Deum averruncum, ἐπικούριον, significat, sive, si mavis, Herculem Assyrium, quem in monte prope Ninum sito, cui nomen Sambulos, praecipua religione cultum esse Tacitus refert Annal. XII. 13. [35]) Rariora sunt monumenta salutarem solis vim repraesentantia, quibus nostrum adnumerandum est, suem a leone compressam exhibens.

Ut columba in Venerem prona et foecunditate insignis Babylone, quae Jeremiae (L, 16.) urbs columbae vocatur, in Cypro, in Eryce Siciliae monte aliisque locis Veneri in deliciis fuit, ita eandem ob causam sus [36]) in

33) V. Layard, the monuments of Niniveh. Lond. 1853. tab. 9. 45. 46. 48. 53. Lajard, Recherches sur le culte de Venus. Pl. VII, 1—4. XVII.

34) V. tabulam fictilem Neapoli repertam apud Gerh. Mon. Ined. Tab. LXXVIII. De magno aliorum ejusdem generis monumentorum numero tacemus.

35) V. R. Rochette, Hercule Assyrien et Phénicien, considéré dans ses rapports avec l'Hercule grec, principalement à l'aide des monuments figurés. Paris 1848.

36) Clem. Alex. Paedag. 3. Mosaicam legem quae Judaeos carne suina vesci vetaret, datam censet διὰ τὸ καταφερὲς εἰς συνουσίαν εἶναι τὸ ζῷον. Cfr. Plin. H. N. X, 63.: sues tantum coitu spumam fundere: verrem subantis voce audita, nisi

Syria [37]) et Cypro [38]), insula Phoeniciarum et Assyriarum religionum plena, Veneri sacra fuit. Callimacho vel Zenodoto auctore Argivi Veneri suem immolabant festumque Hysteria appellabant [39]). Ad eundem cultum referendum est quod a Corinthiis cunnus χοῖρος [40]), a Romanis porca [41]) vocabatur, et nuptiarum initio nova nupta porcum immolabat [42]). Eadem de causa Graeci, praesertim Athenienses, Cereri, quam tanquam foecunditatis patronam coluerunt, suem sacraverunt et in mysteriis Eleusiniis immolaverunt [43]), ad quem morem fictilia feminarum porcellum manibus tenentium simulacra in magna Graecia inventa referenda sunt [44]). Itaque quum Orientis et Occidentis populos eandem rem eadem imagine exprimentes videamus, a vero non multum

---

admittatur, cibum non capere usque in maciem; feminas tantum efferari, ut hominem lacerent.

37) Luc. de Dea Syr. 54: σύας δὲ μούνας ἐναγέας νομίζοντες οὔτε θύουσιν οὔτε σιτέονται. ἄλλοι δ᾽ οὐ σφέας ἐναγέας ἀλλὰ ἱεροὺς νομίζουσι. ὀρνίθων τε αὐτέοισι περιστερὴ δοκέει χρῆμα ἱρότατον.

38) Antiphan. apud Athen. II. p. 95 s.:
ἐν τῇ Κύπρῳ δ᾽ οὕτω φιληδεῖ (sc. Ἀφροδίτη) ταῖς ὑσὶν
δέσποτα, ὥστε σκατοφαγεῖν ἀπεῖρξε
τὸ ζῷον, τοὺς δὲ βοῦς ἠνάγκασεν.

39) Athen. III. p. 95 s.

40) Suid. χοῖρος. τὸ ζῷον. παρὰ Κορινθίοις δὲ τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον. ἔνθεν καὶ παροιμία· Ἀκροκορινθία ἔοικας χοιροπωλήσειν. ἀντὶ τοῦ, ἔοικας μισθαρνήσειν ἐν Κορίνθῳ. πολλαὶ γὰρ ἐκεῖ ἑταῖραι.

41) Varro R. R. II, 4.: mulieres, maxime nutrices, naturam qua feminae sunt, in virginibus appellant porcam, ut Graeci χοῖρον, significantes esse dignam nuptiarum.

42) Varr. R. R. II, 4, 9.

43) Suid. χοιρίων μυστηρικῶν. ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς Δήμητρος χοῖρος ἐθύετο. ἀνάκειται γὰρ τὸ ζῷον τῇ θεῷ.

44) V. Caylus Recueil VI. 37. E. Gerhard, Mon. Ined. Tab. XCIX. 1—4. 6. 7. 9—13.

aberrabimus, si suem a leone compressam ad vernum solem referimus, cum terra genitalia semina poscente se miscentem, et Orientis more eandem sententiam imagine repraesentatam videmus, quam in egregio fragmento Danaidum apud Athenaeum XIII. p. 600 a. verbis expressit Aeschylus:

ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν,
ὄμβρος δ᾽ ἀπ᾽ εὐνάοντος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον.

Similiter Virgilius Georg. II, 324 sqq.

Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens foecundis imbribus Aether
Coniugis in gremium laetae descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, foetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et venerem certis repetunt armenta diebus;
Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor,
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere, nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum coelo magnis aquilonibus imbrem,
Sed trudit gemmas et frondes explicat omnes.

Paullo difficiliores ad explicandum feles [45]) videntur ab utroque hujus symplegmatis latere jacentes. Felium quidem et leonum cognatio non latuit

---

45) Felesne essent an canes aurei haesitans Guil. Rappium adii, Zoologiae professorem illustrissimum, qui corporis universi caudaeque longitudinem, caput rotundum, pedes crassos felibus convenire docuit. Idem de porca prominentibus dentibus caninis conspicua animum advertit ad Phacochaerem Aeliani, coll. G. Cuvier, le règne animal, mammifères pl. 80, 2 (ed. illustrée). Rueppell, Atlas zu der Reise im nördlichen Africa. Erste Abtheilung. Zoologie. Tab. 25.

veteres, ut videmus ex Plinio H. N. XI, 37, 65. „leonibus, pardis omnibusque generis ejus, etiam felibus, lingua imbricatae asperitatis ac limae similis"; sed si quis hac ratione ductus nostri monumenti feles leoni tanquam asseclas adjungere velit, a vero videatur aberrare. Nam non scientiae naturalis, ad suas quaeque animalia classes referentis, leges, sed peculiares quaedam, in bestiarum indole expressae, virtutes antiquitati ea, quae de Diis et rerum natura docuit, imaginibus involvere solitae[46]) obversatae sunt; atque in his arcanae doctrinae involucris tantum populorum longis locorum intervallis sejunctorum deprehendimus consensum, ut, quamvis de felium apud Assyrios cultu nihil neque litteris neque monumentis traditum habeamus, non dubitemus ea, quae de Aegyptiorum religione scimus, ad Assyrios transferre. In Aegypto feles Bubasti praecipua veneratione gavisas et communem omnium quae per Aegyptum mortuae essent felium sepulturam in illa urbe fuisse tradit Herodotus (II, 67). Dea Bubastis, quam cum Artemide Graecorum[47]), cum Diana Romanorum eandem esse dicunt, felis caput gerebat; sed cum pater historiae plerumque arcanam doctrinam evulgare religioni duxerit, interpretationis pensum nobis reliquit.

Felis oculis praedita noctu cernentibus cum noctis amica et foecunditate sua non minus quam porca insignis sit, Bubasti sive Artemidi, quae et ipsa Lunae nomine nocturno curru per coelum vehitur et parientibus succurrit, sacra fuit. Sed cum Damascius[48]) religionem Aegyptiorum, qualis

---

46) Philostr. Vit. Apollon. II, 1. ξυμβολικὸν τρόπον, ᾧ βάρβαροι πάντες ἐς τὰ ἱερὰ χρῶνται.

47) Steph. Byz.: Βούβαστός τε πόλις καὶ ἱερὸν Ἀρτέμιδος. — — οἱ δὲ Αἰγύπτιοι Βούβαστον τὸν αἰλουρόν φασι.

48) Damascii philosophi Platonici quaestiones de primis principiis ed. Jos. Kopp. 1826.

sua aetate fuit, optime paucis lineis ita describat, ὅτι διαιρετικοί εἰσι πολλαχοῦ τῶν καθ' ἕνωσιν ὑφεστώτων, et haec ipsa ratio non de Aegyptiis solis, sed de tota antiquitatis religione valeat, Artemidis natura non hoc uno ministerio absolvitur, sed antiquissimis temporibus quum Aegyptus in varia, quorum suos quodque Deos haberet, regna divideretur, Bubastis sive Artemis primaria cognominis provinciae Dea fuit, quae eodem modo, quo Artemis Ephesiorum et Magnetum ad Maeandrum et Diana Persica, generatricem naturae vim repraesentaret et, nomine tantum diversa, eadem esset, quae Mylitta Assyriorum [49]).

Ita symplegmate nostro idem, quod variis imaginibus expressum omnium Orientis religionum quasi centrum est et cardo, repraesentatur, vis generans et natura semen recipiens receptoque novos semper fetus procreans.

Si imitari vellemus quosdam intrepide ad ultimos conjecturae limites progredientes, felibus adjectis possemus induci, ut turibulum nostrum sub vicesima secunda Bubastiorum regum dynastia, in qua non pauca Assyria nomina inveniri supra (p. 6) vidimus, in usu fuisse et ex hujus urbis ruinis effossum esse statuamus; sed cum iis potius, qui se multa nescire fateantur, quam iis, qui se omnia scire autument, adsentiamur, hanc quaestionem intactam relinquimus et pauca de canibus, in adverso turibuli latere effictos adjicimus.

Qui canem et leonem in monumento, Babyloniae aut Assyriae, terris astrologiae studio deditissimis, adjudicando conspexerit, non potest non meminisse Horatii Ep. I. 10, 15 sqq.:

---

49) Vide Creuzer, Symbol. I. p. 233 et nostram dissertat. de Nemesi Graecorum p. 7 sqq.

Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
Leniat et rabiem *Canis* et momenta *Leonis*,
Cum semel accepit solem furibundus acutum?

Sed ne huic viae insistamus monet numerus pluralis canum, in turibulo nostro effictorum, quare malumus cogitare de canibus sacris templo, cujus usui turibulum nostrum inserviit, adscriptis [50]; sed hac ipsa Sirii ratione habita canes inter sacra Aegyptiorum animalia relatos esse probabile videtur [51].

In latere averso florum ornamenta, Maeandri flexiones imitantia ficta sunt. In parte anteriore caput muliebre conspicitur, quod quia nonnisi ornamenti locum habet, austeris quibus sacra Assyriorum ars continebatur, legibus exemtum esse videtur et ad Graecae artis elegantiam proxime accedit. Neque notatu indignum videtur, in Romanis acerris vel in latere adverso vel in hoc ipso loco Medusae caput positum esse, quod nec falsarius Moguntiacus festivae suae merci affigere neglexit. Ex hac similitudine si Graecarum, quos Romani imitati sunt, turibula ad Assyriorum et Babyloniorum exemplum facta fuisse concludimus, vix est quod temeritatis culpam timeamus; nam cum ture etiam turibula a Phoenicibus, qui commercium inter Orientem et Occidentem sustinuerunt, ad Graecos advecta esse necesse est.

In parte posteriore (Tab. I. nr. 3), si opus detritum recte dignovimus, rude et inconditum Deae alatae simulacrum effictum est.

---

50) Th. Panofka (Archäolog. Zeitung 1856. nr. 92. p. 212) nuper Aeliani H. A. XI, 20. testimonio docuit, Adranum, daemonem beneficum, per totam Siciliam cultum, mille canes in templo suo aluisse. Ut de felium, ita etiam de canum apud Assyrios cultu nihil sicmus.


51) V. Creuzer et Baehr ad Herod. II, 67.

Haec erant, Viri Illustrissimi atque Amplissimi, quae de antiquissimo turibulo gratulationibus nostris boni ominis causa subjungere voluimus. Vos autem, ut litteras has, Academiae nostrae jussu et auctoritate ad Vos datas, ea, qua scriptae sunt, benevolentia accipiatis rogamus, persuasumque habeatis, nos quo majore terrarum intervallo a Vobis sejuncti sumus, eo ardentiore rerum Vestrarum studio teneri Vobisque optima quaeque apprecari. Quare festos quos nobis indixistis dies piis votis prosequemur laetisque plausibus sive praesentes sive absentes Horatio (Od. IV, 2, 49.) praeeunte

Jo triumphe
Non semel dicemus, Jo triumphe,
Civitas omnis; *dabimusque Divis*
*Tura benignis.*

Dabamus in Academia Tubingensi die xx. m. Sept. a. MDCCCLVI.

Tab. 1



№ 2.



№ 3.

e

f

c d

b

a

№ 1.